

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Barnstorff

**Rector Academiæ Rostochiensis Johannes Barnstorffius Reipubl. Literariæ
Civibus S. P. D. Ac Patientis Jesu Imaginem Repræsentat**

Rostochii: Typis Joh. Wepplingii, [1702?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn893531952>

Druck Freier  Zugang





T. 512.

1702. Fasten

A-1256.^{an}

Q. 1702.

RECTOR
ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS
JOHANNES BARNSTORFFIUS.
REIPUBL. LITERARIÆ
CIVIBUS
S. P. D.
PATIENTIS
JESU
IMAGINEM
REPRÆSENTAT



ROSTOCHII,
Typis JOH. WEPPLINGII, Univ. Typogr.

M. 1256 82



Llustris Petri sententia i. Epist. II. 22. Superesse nobis ex dominica passione exemplar vestigia illius persequeendi, quamquam e Papali cathedra (qualem divinus Scriptor nunquam habuit) dicta non fuerit, autoritate tamen quascunq; pro cathedra latus multum antecedit. Non poterat certe firmius consolari iniq; afflitos, quam eum nominando, quo nemo minus promeruit, magisq; tulit dolorum ac cruciatuum. Namq; si salutarem etiam fructum ejus calamitatis possemus dimittere, sola tamen Christi patientia ac infinitorum malorum tolerantia, humano ingenio stimulum addere, ac animos contra adversos eventus excitare deberet. *Enim vero id qvod ad nostram pertinet salutem & persolutum universi hominum generis pretium, quasi anima est in praesenti negotio; quae in universo patientis Iesu statu ac habitu, velut in corpore suo recumbit.* Ecce autem, dum nos Christo conformari præcipit apostolus, quasi phrasin ac dictiōnē magistri imitaturus ad puerilia nos revocat subsellia. Etenim ~~Carthaginum~~ nominando refricare videtur ejus ætatis memoriam, qua literarū elementa haufimus quondam, ac rudi manu depinximus. Solet tempe a scripturæ magistris indoctiæ pubi literarum atque vocum tradi exemplar: cuius ductum seqvi; sic ut inibi est, efformare apices, lineas tendere ac literas circumducere tenentur. Sermone vernaculo eine *Vorschrifft* dicimus. Non credo, quemquam fuisse, cui olim æq; infeliciter cesserit Scriptioni asservieri, tot eleganterum ductum experimenta capere, aut magistro æqualem evadere. quam nobis Christi imitatio obtingit. At nec illud ignoror, neminem in scribendi artificio tantum protecisse, quin Christiana pietas domino suo adhuc magis debeat. Primores in scriptione conatus tales læpe habemus, quasi aut graculiro-

fro.

stro illita, aut gallinarum manu signata sint; qvæ nos literas esse
putamus. Ne latus quidem ungvis intercedit, qvin nostra, qva
Christi patientiam imitari præsumimus, opera, isti pueritiæ si-
millima existat. Si qvando optime de cruce meriti; Silevi
onere, brevi æstu malorum corripimur; Si in ipso charissimi
Parentis sinu reclinati castigamur; Bone DEUS qvanti nobis
heroes videmur, quantum nobis placemus? imo jam Christi
effigie induiti nobis censemur? Scribendi profectus omnes ab
exercitatione suspensi sunt, donec ex incondito literas revera
exarandi initio, tandem species, interdum & cultus scriptionis
emergat. Non alia fuit sacro scriptori mens, cum de exem-
plari e Christi calamitate in nos reliquo dixit; qvam manu nos
in officium deducendi. Provehi in pietate, crescere in fide,
confirmari in miseria; perficere in turbis, præsentes esse in am-
biguis, neq; in ipsa morte cedere debemus semperque eniti, ut
vita nostra Christum ejusq; mores exscripsisse, aut saltem id
voluisse videatur. Ista autem Christum insequeundi ratio certe
tantum habet in pietatis mysterio, ut civilem vitam citius qvis-
piam ducere sine scribendi notitia, qvam sine hac altera Chri-
stianus qvis esse queat. Non nego fuisse homines, qui sine acer-
biori crucis sensu, aut manifesto vestigiorum Christi documento
ad meliores transferint: Sed num ideo, qvod fortunæ errore
aut excessu aliquando ad summam delati sunt, qui ne literas qvi-
dem efformare didicerunt, nemo imposterum eleganter scri-
bere adlaborabit? Sed magis stolidum foret ideo Christum nolle
imitari, qvia unus & alter forte servatus est, anteqvam potuit
suum ea in re studium experiri. Indigni essemus Christiano no-
mine, si ejus dignitatem factis evertere, & dici Christo similes,
non autem qvo tales simus, contendere velimus. Vinculum
hic videtis, qvod uno nexu omnes continet, qui salutem spe-
rant. Nullus vitæ status inde eximitur, & qvæ hic immunitate
gaudeat, conditio nulla est. Primum hic locum merentur, qvia

partes habent primarias, omnes illi, qui sanctioribus ministeriis intersunt, Ecclesiastica gerunt munera, aut affectant, aut illis suscipiendis se preparant. Illi certe quia in Archetypo, quod ineffabilem sapientiae divinæ multitudinem complectitur, quasi intimius cœteris introspexerunt omne salutarium lineamentorum artificium: ejusdem tenacissimi esse merito debent. Et revera quoties Theologi pietate insignes, aut muneris molestiis, aut laborum ferme insuperabili frequentia, aut variis ærumnis, aut famæ detimento laborant; & tamen praesenti sunt animo ac integra fiducia; expressisse dicuntur aliquam e Christi ~~car~~
~~χριστου~~ literam seu vocem. Habent etiam hic, quod agant illi, qui magistratum personam habent. Quamvis enim in mundo, non ex eodem Christi imperium concrescat; discere tamen patientiæ reges, clementiam principes, mansuetudinem omnes magistratus cum illo exemplo poterunt. Denique quocunq; quis loco natus sit, quacunq; aetate, nunquam frustra in Christo regulam vitae, actionum normam, ac perfectionis exemplum quæret. Utinam tantopere omnes omnium animos res ea percelleret; utinam tanto quavis studio Christum referre, aut si id nequeat, sequi contendet: quanta exemplar descriptum est elegantia atque industria. Haec sane eousque crevit, ut nec infinitis doloribus, nec flagrorum infamia, nec mortis violentia, nec divinæ opis privatione frangeretur. Sangvis Christi vivus, quo toties ac tot modis descriptum est in mente nostra exemplar, valore ac pretio omni vetustæ scriptio auro ac encausto in immensum præstat. Adeo nempe id suo se ornata ac elegancia commendant, & hinc difficilius exprimi potest, diligen-
tiusque propterea effigi ad ejus similitudinem mens nostra debet. Semper enim humanitas, semper labes adhæredit aut macula nostris in pietate progressibus; & nostra conamima non proprius ad plenam Christi effigiem sese proripient, quam terra, cuius incolæ sumus & portio, cœlum, quod petimus, attingit

attingit. Præstat tamen facere hic periculum, qvam in periculo esse; præstat aliquid tentando probare industriam, qvam nihil agendo lectum Satanæ sternere. Quantum vero hic in rebus inane est! Satis quidem est in universa Christi vita, neq; minus in morte ejusq; instrumentis vestigiorum; sed rarissimi sunt qvi illa legant. Venit, dum Christi nuncupo vestigia, in mentem illud priscæ superstitionis inventum & credulitatis vestigium qvod festivo Severi Sulpici sermone malo enuntiare. Illud mirum (ait L. II. Hist: Sacr: C. 33. & si vera dicit Sigonius, solus commenti autor est) qvod locus ille, in quo postremum instituerant divina vestigia, cum in cœlum nube sublatus est Dominus, continuari pavimento cum reliqua stratorū parte non potuit. Siqvidem qvæcunq; applicabantur, insolens humana terra succipere respueret, excussis in ora apponentium sæpe marmoribus. Qvin etiam calcati DEO pulveris adeo perenne documentum est, ut vestigia impressa cernantur. Et cum quotidianus confluentium fides certatim domino calcata diripiatur, damnum tamen arena non sentiat: & eadem adhuc sui speciem, velut impressis signata vestigiis, terra custodit. Fabulam hanc, si simplicissime dici debet, qvod res est, fabulam esse judico. Sed mitius tamen eam interpretabor, & sub ea id delitescere statuam; indelebeli charactere in fidelium animis defixam esse debere Christi memoriam. Neq; enim puto qvemq; de eo ambigere, penitus intromittendum esse illud nomen in animi nostri imos recessus, qvam de Christi vestigiis enarrat figuratum. Ea debebat esse indoles Christiana, ut si figuram à Christo diversam vellet præsens introducere seculum, nos interna virtute acti divinoq; agitati Spiritu, omnes vanitatum qvisq; vilias in ora apponentium respueremus. Debebamus utique tales esse, sed pauci sunt, in qvibus plurima non desiderentur. Quare nemo illorum est, ad qvos cura pietatis spectat, qvis uos omnni studio hortari non debeat, ut suo qvisq; fungatur officio, &

vestigiis Christi viam omnem accommodet. Hac & ego mente vos nunc compello & per sanctam patientis IEsu memoriam, per spem quam in illa ponitis, per miserrimum IEsu verbibus dilacerati, spinarum compunctione fauicci, interniq; doloris vehementia cruenti, per gratiam hac via in vos reductam ; aut si haec omnia vos non movent (quod tamen non credo) per omnem summi numinis iram vicissim in gratiae contemtores derivandam obtestor ut Christi imaginem intimo pectore recipatis, & exemplar ab illo profectum gestatis in oculis, Veneremini animis & facto reddatis. Hoc sane tempus aliam requirit vitam aliosq; mores postulat. Nunc etenim pro facris rostris undiq; Christi patientis gemitus, dolores moribundi ac ineffabilis demortui amor exaudiuntur. Vos itaq; omnium maxime decebit, quod verbis enunciatur vitae ratione ac re ipsa tradere. Tales estis quorum medullis vestigia Christi altius imprimuntur, ut eo manifestius olim possint conspici, ubi est vestra facie ac vultu tanquam speculo divina lux veritatis elucescat. Ergo quidem gemina est vobis ratio, cur Christum imitari studeatis; altera quia Christiani jam estis, altera quod Christianae ecclesiæ doctores futuri sitis. Sane in utroq; nomine arduum versatur opus; & si alterutrum nomen captemus, illius certe jure tenebimus. Non ausim illum crimine læsæ maiestatis liberare, qui summi imperantis ministrum nedum publicæ autoritatis legatum se venditaret, ac imponeret ea specie simplicibus. Quod si in soli foro non procedit; divina quid statuet autoritas? Ille, qui se Christianum dicit, talis quoque haberi gestiat, qui Christi meritum pro salutis fundamento, ejusque obedientiam pro exemplo habeat. Quod si jam in neutrō verax sit, quia conscientia ubi diem adversarius dixerit, adesse; quia uti exceptione, quam elabendi rimam nancisci poterit: qui eum, cuius causa omnis actio vana, omnisque processus nullus fuisset, non modo factis abnegavit; sed nominis quoque manifesto per mendacium

dacium abusu irritavit? Vos certe, qvod non improbo, honestatis ac ingenui moris famam, qva semel florere cœpistis, in familiari vita damnum pati non facile sinitis, haud parum exemplis aliorum permoti. Qvanto autem potius erit, qvia ex opposito gravior jactura est, nomen Christiani semel adsumtum abjicere, ne qvidem ullo ad Christi exemplar habito respectu? Facile qvidem concessero aliquid difficultatis habere, si Christi vestigia seqvaris, multumq; ea ratione humani ingenii oblectamentis decedere. Sed si tantum in primis rudimentis laborari debet, arduum esse, qvod molimur, dum salutem qværimus, ipsi colligitis, reputantes tamen qvanti constet æternum perire. Agite ergo si Christum amatis (hunc vero qui non amat, eum dyra Execratione devovet Apostolus) si vobis olim bene esse expetitis; definite mundo conformes esse, ac ad Christi imaginem vos componite. Non expectari debent ea tempora ubi varia malorum procella exquisitissimiique dolores in vos prorumpent; jam nunc enim habetis, quo Christum patientem ac in Cruce morientem seqvi liceat. Sibi ipsi mortem conciliare tacitus qvidem est, in honesta sepultura ac æterna contumelia piandum; Sed vobis ego potestatem (si morem gerere digne velitis) nunc fecero, vosmet & vestrorum animi motuum impetus quotidie in crucem proripiendi, imo morte plus quam simplici enecandi. Hic non apud JCtos modo, sed in ipso DEI foro inculpatæ tutelæ moderamen ex usu vobis fore spondeo. Compescite ergo, o mei, voluptatum, tumultuumque studia, ut rituarum, clamorum, ac publicæ tranquillitatis obstaculorum odia in vobis succrescant. Id vero omnium maxime hac tempestate dictum vobis esse judicantes, & quam miserum fuerit bacchanalia vivere ex gentilium funesta clade conspicientes; ut Christiano nomine dignum est, breve id tempus tranquille sobrie ac pie transfigite. Erit hæc res Deo gratissimum spectaculum, mihi insigne gaudium, vestrorum met conscientiæ delinimentum


nimentum ac exemplum insuper, qva ratione imposterum qvoq;
leges nostras omnium elegantissime, h. e. ipso exercitio, expli-
care queatis. Veroper qvam similis mihi videtur eorum opinio,
qvi suppicio Christum affectum fuisse ob seditionis ac rebellis
animi suspicionem dictitant; eo qvod Romanæ leges tale cri-
men præ aliis crucis suppicio æqviparant. Vos autem qvæso,
ut reputetis annon morem tot edictis ac monitis nostris temere
negantes, & de facti indignitate intra animum vestrum convi-
eti, tamen inconditis clamoribus platæas implendo, qvi etemq;
publicam veluti ex instituto turbando, & sic de industria pec-
cando Christum denuo qvasi exercuietis, & novo tumultus
crimine impetatis ejus patientiam? Certe qvo minus ille qvi-
dem istis iætibus afficitur, qvippe æternum supra omnem aut
dolorem, aut mutationem evectus; eo tamen severius detesta-
tur eos, qvi impetum faciunt; & qvondam perseverantes duri-
ter ulciscetur. Præterea incipit ob istas turbas nostras acade-
mia male apud exterios, & forte apud superiores audire, ac pas-
sim despectui esse. Qvare cum & vestra & academiæ salus mihi
curæ sit, & me urgeat; denuo publica autoritate vobis à noctur-
nis clamoribus, divagationibus ac rumore omni Christiano-
rum ac literatorum officio plane indignis severe interdico; in-
obedientes, invitus licet, gravissime puniturus. Illud etiam edico,
qvoniam augustior est doctrinæ his temporibus repetendæ di-
gnitas, id propter me adhuc severiorem fore. Cœtera, utpote
frequentem divini nominis cultum, morum integritatem ac
sobrietatem, illecebrarum qvarumlibet (queis hoc tempus
aptum esse videbitur) deviationem vos pietas docebit. Va-

lete in Domino, qvi exemplar nobis, dum patiebatur,
dedit, qvo ipsius sectaremur
vestigia.

P. P. Dominica Estomih A. 1702.
Sub Sigillo Rectoratus.

•(o)(o)•

dacium abusu irritavit ? Vos certe, qvod non i
statis ac ingenui moris famam, qva semel flore
familiaris vita damnum pati non facile finitis,
xemplis aliorum permoti. Qyanto autem poti
opposito gravior jactura est, nomen Christiani se
abjicere, ne qvidem ullo ad Christi exemplar ha
Facie qvidem concessero aliquid difficultatis ha
vestigia seqvaris, multumq; ea ratione humani i
mentis decidere. Sed si tantum in primis rudir
debet, arduum esse, qvod molimur, dum salutem
colligetis, reputantes tamen qvanti constet æ
Agite ergo si Christum amatis (hunc vero qv in
dyra Execratione devovet Apostolus) si vobis oli
petitis; definite mundo conformes esse, ac ad Ch
vos componite. Non expectari debent ea tem
malorum procella exquisitissimique dolores i
pent; jam nunc enim habetis, qvo Christum pa
Cruce morientem seqvi liceat. Sibi ipsi morten
cinus qvidem est, inhonesta sepultura ac æterni
andum ; Sed vobis ego potestate (si morem ge
litis) nunc fecero, vosmet & vestrorum animi
tus qvotidie in crucem proripiendi, imo morte
plici enecandi. Hic non apud JCtos modo, sed i
inculpatae tutelæ moderamen ex usu vobis fore s
pescite ergo, o mei, voluptatum, tumultuumq;
xarum, clamorum, ac publicæ tranquillitatis
odia in vobis succrescant. Id vero omnium ma
pestate dictum vobis esse judicantes, & qvam i
bacchanalia vivere ex gentilium funesta clade
ut Christiano nomine dignum est, breve id tem
fobrie ac pie transigite. Erit hæc res Deo gratissi
lum, mihi insigne gaudium, vestrorum met co



the scale towards document